

N. B. Mulieri, quae sciens volens copulam habuit, numquam licet expellere semen : id enim prorsus fini naturali copulae adversaretur. Attamen ei quae vi dolore oppressa est probabilius id licitum est, dummodo fiat immediate post copulam. Nam semen tunc se habet ad modum injusti aggressoris quem licet repellere. (Lehmk. I. n. 849 ; Ball. P. de 6º Praec, n. 120) Neque sic inducitur periculum abortus. Nam, secundum recentiora medicorum placita : " Conceptio cum copula minime coincidit ; immo saepe saepius, pluribus horis vel etiam diebus interjectis, obtinet. „ (Eschbach. op. cit. p. 79) Deinde merus conatus expellendi semen, ex. gr. per lotionem vaginae, foetui jam concepto non noceret.

## CAPUT V.

## DE DUELLO.

**379. DEFINITIO.** Duellum definiri potest : singulare certamen armis letalibus ex condicto initum. Nempe :

*Singulare certamen*, eo sensu quod singuli singulos adoriantur, licet forte hinc inde stent duo vel tres dimicaturi : quod tamen hodie obsolevit.

*Armis letalibus*, seu quae periculum occisionis vel gravis vulnerationis afferant, ut sunt gladii, sclopeta (revolvers), non autem bacilli, ferrum acie retusa, multo minus pugni (boxe).

*Ex condicto initum.* Omnino requiritur ut inter partes convenerit de loco et tempore configendi ; nam per hanc circumstantiam duellum differt a rixa, quae, saltem pro alterutro e pugnantibus, ex improviso contingit. Si, contra morem, arma determinarentur tantum in loco pugnae, malitia moralis esset prorsus eadem, neque talem praeviā determinationem videntur RR. PP. habuisse ut essentialē : nam ut duellantes puniunt " illos qui ex condicto, statuto tempore, in loco convento monomachiam commiserint. „ (Greg. XIII Const. *ad tollendum*) Nihilominus multi censem poenas ecclesiasticas non incurri ab iis qui antea arma non designaverint (S. Alph. n. 401 ; Ball. P. n. 103), quia jam deest duellum sensu proprio. Nam, aiunt, RR. PP. censendi sunt inten-disse duella qualia communiter fiunt et *usum detestabilem* (Conc. Trid. Sess. 25. de ref. c. 19) constituunt.

Hinc sequitur inter conditionem duelli et ipsum certamen intercedere debere aliquod temporis spatium. Quare a poenis ecclesiasticis, saltem probabiliter, excusantur qui se ad pugnandum in tali loco provocant statimque illuc pergunt. (Ball. P. n. 105) Neque duelli provocatio aut acceptatio habetur, si unus inimicus cum altero convenit ut pugnent

quamprimum alter alteri obvius fuerit : nullum enim certum tempus assignatur.

Ad essentiam duelli minime requiritur ut fiat adhibitis *patrinis*, misso utrumque provocationis libello etc., neque ut fiat ex vindicta. Nam communiter verum duellum censeretur, etiamsi fieret spectaculi aut virtutis ostentandae gratia et sine his accidentalibus sollemnitatibus.

**380. ASSERTA. I.** Duellum, *auctoritate publica* susceptum, licitum est tantum si intenditur bonum commune quod sine periculo occisionis vel vulnerationis obtineri nequeat, puta ad conservandam existimationem exercitus apud hostes, ad terminandum bellum cum minore damno. Minime vero licet ad terminandas privatas controversias, etiamsi a superioribus imponatur, puta militibus a duce suo : nam praesto est aliud medium multo aptius, nec periculum vitae humanae involvens, scilicet judicium legitimū.

Si princeps duobus capite damnatis permitteret certamen inire, id non videretur duellum proprie dictum, neque illicitum : siquidem singulis executionem sententiae in alterum committeret. (Bus. ap. S. Alph. n. 400)

**II.** Duellum proprie dictum *privata auctoritate* inire, offerre vel acceptare, est semper graviter illicitum.

Ratio illicitatis duelli in genere spectati manifeste elucet, tum e pluribus legibus ecclesiasticis, tum ex ipso jure naturali : siquidem, saltem extra casum quo duelli acceptatio est unicum medium ad gravissima mala vitanda, clare patet graviter peccare eum, qui, sine tanta necessitate, seipsum et adversarium morti vel gravi vulneri exponat. Concluditur idem a fortiori ex iis quae dicturi sumus de hoc casu difficultiore quem modo excipiebamus et in quo reapse plures graves AA. paulo antiquiores cit. a S. Alph. (n. 400), ut Reiffenst. (in l. 5 Decret. t. 14. n. 20 seqq.) id licitum reputabant. Jamvero, etiam in hoc casu, dummodo de *vero duello*, ut communiter fit, non autem de mera defensione actuali bonorum magni momenti agatur, id illicitum esse constat :

1º *Ex documentis ecclesiasticis.*

a) E damnatione duarum e propositionibus a Bened. XIV (Const. *Detestabilem*, 10 Nov. 1752) reprobatis. Etenim 1ª sic sonabat : " Vir militaris qui, nisi offerat vel acceptet duellum, tamquam formidolosus, timidus, abjectus et ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio, quo se suosque sustentat, privaretur, vel promotionis, alias sibi debitae ac promeritae, spe perpetuo carere deberet, culpa et poena vacaret, sive offerat, sive acceptet duellum. „ 3ª autem erat haec : " Non incurrit ecclesiasticas poenas, ab Ecclesia contra duellant

latas, dux vel officialis militiae, acceptans duellum ex gravi metu amissionis famae vel officii. „ Jamvero, nisi velimus damnationem 1<sup>ae</sup> prop. reddere prorsus inutilem fini quem Bened. XIV intendebat, eam ita intelligere debemus ut reprobetur non tantum oblatio, sed et acceptatio duelli. Mens enim Pontificis fuit ut omne duellum proprio dictum illicitum declararet et auctorum, qui praedecessorum ejus decreta emollire conati erant, sententiam reprobaret. Id patet ex cit. Const. ubi : “ His tam sapienter, tam aperte atque perspicue ab Ecclesia et ab Ap. Sede constitutis, dubitari jam nullo modo posse videbatur quin duella omnia tam publica quam privata et naturali et divino jure prorsus illicita, vetita atque damnata censeri deberent. „ Ut adnotat Palmieri, refutans Ballerini (in nota ad n. 120), nostra conclusio “ non est contradictoria propositionis damnatae (1<sup>ae</sup>) si extrinsecam ejus formam spectes, sed contraria : est tamen ea, quam exigit ipse scopus Pontificis aliquid certi nos docere volentis sua proscriptione. „ E damnatione vero prop. 3<sup>ae</sup> concludimus ab Ecclesia reprobari duellum proprio dictum quod suscipiatur ad defendenda bona magni momenti. Contra hanc conclusionem immerito objicit Baller. (n. 118) nihil in ea propositione dici de actuali defensione bonorum. Nam, quando aliquis militiae officialis ab alio ad duellum provocatur et metuit ne recusando amittat famam vel officium, haec bona, quae certe magni momenti sunt, omnino actualiter invaduntur ab eo qui hunc officialem per provocationem suam, in talem necessitatem vel duellandi vel haec amittendi conjecit.

b) E recentioribus S. Sedis documentis, nempe Bulla *Apostolicae Sedis* Pii IX (Vol. II n. 595) et Litt. Encycl. Leonis XIII ad Archiep. et Ep. Germaniae et Austro-Hung. Imperii (12 Sept. 1891), in quibus duellum proprio dictum ita reprobatur ut nulli exceptioni videatur esse locus. Ceterum in hunc sensum universalis reprobationis, documenta illa interpretantur tum pastores, tum fideles hodierni.

2<sup>o</sup> Ex *intrinseca ratione*. Ut liceret propriam et alienam vitam periculo exponere ad vitanda gravissima mala, necesse esset ut effectus bonus saltem aequa immediate ac malus e duello sequeretur. (n. 14) Jamvero hic bonus effectus, seu conservatio bonorum et munieris, non obtinetur nisi per aestimationem omnino praeposteram, quam sibi conciliat duellum acceptans, dum temere vitam propriam et adversarii exposuit vel laesit, inducta confusione valde nociva bono communi inter veram virtutem et temeritatem. Cfr. Lugo, de Just. et J. disp. 10. n. 172; Lehmk. Stimmen aus Maria-Laach, Apr. 1894.

**381. III.** Licet singulare certamen inire cum eo qui actualiter aggreditur vitam vel bona fortunae magni momenti, vel qui minatur se eadem bona ablaturum esse, si aliter vitari nequeunt aggressio vel

mīnae. Haec enim est tantum defensio licita (n. 368 seqq.), neque tale certamen proprie pertinet ad ea duella quae Ecclesia tamquam detestabilem abusum reprobat : nam qui abusum illum tuentur, communiter hujusmodi pugnam non haberent tamquam verum duellum. Neque casus mutari videtur si, moraliter perstante tali aggressione, ambo se in aliud locum conferrent, puta quia aggressor ad id quoque cogeret. (Lehmk. I. n. 850; D'Annib. II. n. 289, nota 53)

Non videtur aliquid amplius concedere Struggl (Th. Mor. t. 7. q. 3. n. 65), cui innituntur Ballerini (n. 118) et D'Annib. (l. c.) ut tueantur liceitatem duelli ad damnum gravissimum in bonis avertendum. Quorum sententiam, nisi ad limites hic positos reducatur, ob rationes datas n. 380, prorsus rejiciendam ducimus.

**IV.** Graviter peccant duellum instituentes cum pacto de dirimendo certamine, ut primum alteruter vulneratus fuerit, seu sanguinem fuderit, aut certus ictuum numerus utrumque illatus fuerit : hi enim, in Const. Clementis VIII *Illiis vices* (1 Sept. 1592), poenis duellantum subiacere declarantur. Similiter S. C. C. (9 Aug. 1890) respondit iisdem obnoxios esse ineuntes duella qualia inter scholares Germaniae instituuntur : qui, ut exposuerat Episcopus Wratislaviensis, parvo tantum cultro utentes et ceteris corporis partibus bene tectis, sibi in faciem incisionem seu vulnus inferunt ; in his ergo duellis, eodem teste, nec mors nec mutilatio intenduntur, rarissime autem et non nisi per accidens, ex imprudentia aut ex alia causa duello extrinseca, alterutra contingit. (N. R. Th. t. 22. p. 582)

Practice igitur, quo sienscumque concurrunt ea quae ad substantiam duelli, quale communiter concipitur, necessaria sunt (n. 379), videtur graviter peccari sive ob periculum gravis vulneris quod cautelis adhibitis removeri nequeat ubi arma letalia adhibentur, sive ob grave scandalum quod cuivis duello proprio dicto adhaeret, neque a gravi reatu excusantur duellantibus, eo quod nec mors, nec mutilatio timetur. Parum autem prodesse censemus opinionem eorum qui (ut Ball. P. n. 108; Villada, Cas. Consc. I. p. 351) tenent ecclesiasticas poenas non incurri ab iis duellantibus qui tantas adhibent cautelas ut non nisi levis vulneris sit periculum : talis enim hypothesis, quamvis non repugnet, vix umquam verificabitur.

**382. V.** Ratione scandali, plerumque graviter peccant qui duellum fite offerunt, acceptant, ineunt. Idem tamen poenas ecclesiasticas non incurrint. Hae enim feruntur in veram acceptationem vel oblationem et in certamen cui reapse subsit periculum mortis vel gravis vulnerationis. Peccatum autem scandali sufficit ut explicetur quare a Bened. XIV

damnata fuerit prop. 2<sup>a</sup> : " Excusari possunt, etiam honoris tuendi vel humanae vilipensionis tuendae gratia, duellum acceptantes vel ad illud provocantes quando certo sciunt, pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam. „ Insuper alia ratio damnationis esse potest : nim. eum qui cum tali praevisione acceptet, non omnino fichte acceptare, sed ea intentione ut, si forte pugna non impediatur, duellum ineat. (Pennacchi, Comm. in Const. Ap. Sedis. t. I. p. 561 seqq.; Ball. P. n. 106 seqq.)

## CAPUT VI.

## DE BELLO.

**383. I.** Ut liceat bellum indicere, necessaria est auctoritas publica et, saltem regulariter, suprema, qualis in sola societate perfecta viget.

Etenim privati vel societates imperfectae possunt jus suum coram tribunali superioris prosequi; bellum autem, propter ingentia damna quae secum trahit, nequit esse licitum si datur aliud medium quo, sine tantis calamitatibus, idem finis obtineri queat. At, cum societas perfecta nullum habeat superiorem cui in temporalibus subsit et qui eam ab aliis gentis injuriis efficaciter tueatur, necesse est ut possit vim vi repellere vel injuryae illatae reparationem procurare. (2. 2. q. 40. a. 1) Attamen, si quando supremam auctoritatem gerens nollet vel non posset injurias ab una societate imperfecta alii illatas compescere vel vindicare, non videtur injustum bellum quod ab una reipublicae parte contra aliam geratur, ut crebro fiebat medio aevo inter varia oppida vel principes subordinatos. (Laymann, l. 2. tr. 3. c. 12. n. 4)

**II.** Ad justitiam belli defensivi, quo vis illata repellitur, sufficit ut, saltem cum probabilitate, existimetur vim injuste inferri. At si contrarium morali certitudine constat, satisfaciendum est aequis postulationibus bellum inferentis. Nequit enim dari bellum *objective* justum ex utraque parte, quia nequeunt duo circa eamdem rem habere duo contraria jura. Saepe tamen, ob certitudinis defectum, bellum ex utraque parte *subjective* justum est. (Bus. ap. S. Alph. n. 402)

**384. III.** Ad justitiam belli offensivi requiritur causa tam gravis ut aliquam proportionem habeat cum plurimis calamitatibus quae inde in utramque gentem belligerantem oriturae praevideantur.

Hujusmodi causae se tenent imprimis ex parte reipublicae bellum illatura, quales censentur : recuperanda provincia eidem debita quam

recuperare multum intersit communis boni, vindicta sumenda de gravi contumelia quae principi vel reipublicae illata sit, etc. (Laymann, l. c. n. 5) Possunt quoque se habere ex parte religionis : sic licet, vel quandoque oportet, catholicas gentes bellum gerere contra infideles ut eos compellant ne fidem Christi annuntiandam impediant, ex. gr. expellendo vel occidendo Missionarios. (2. 2. q. 10. a. 8) Tandem eadem facultas vel obligatio oriri potest ex caritate erga alias gentes injuste oppressas. Quare in Syllabo Pii IX reprobatur prop. 62<sup>a</sup> : " Proclamandum est et observandum principium quod vocant de non interventu. „ In omnibus his casibus supponitur frustra petitum fuisse ut injuria illata repararetur : non enim liceret ingentia bellorum damna permittere si medium innocuum ad justam reparationem obtainendarum suppeteret.

**IV.** Ad justitiam belli offensivi insuper requiritur ut de causa ista cum morali certitudine constet.

Ratio praecipua haec est : quod tanta damna secum fert bellum ut permitti nequeat nisi ad jura prorsus certa vindicanda. (S. Alph. n. 404) Unde videtur rejicienda, tamquam intrinsece periculosa et damnosa, sententia AA. non paucorum opinantium sufficere ut jus bellum inferentis sit probabile vel probabilius. Si enim dubium de jure superest, recurrendum erit ad arbitrium aliorum principum et praecipue Romani Pontificis; quodsi altera pars hunc recursum prorsus rejicit vel sententiae ab arbitro latae parere detrectat, jam habebitur injurya certa ob quam licebit bellum indicere. (Waffel. de Just. II. n. 444)

Si, coepito bello, altera pars congruam satisfactionem offert, haec accipienda est : secus enim, sine necessitate, caedes aliaeque calamitates multiplicantur.

**385. V.** Milites qui ad bellum gerendum adiguntur, sive per conscriptionem (ut hodie solet), sive quia, ante exortum bellum, libere nomen exercitui dederunt, per se non tenentur inquirere de belli justitia : nam superioribus suis parere possunt, quamdiu non constat eorum iussa esse illicita. Attamen si, ob adjuncta, vehemens suspicio oriatur de belli injustitia, tenerentur quidem inquirere quantum commode possent; a bello tamen abstinere deberent tantum si comperirent illud esse manifeste injustum.

*Qui vero libere nomen dare velint exercitui bellum inituro, tenentur inquirere de justitia causae, nec possunt eam adjuvare nisi moraliter constet eam justam esse; quia, cum agatur de damno tertii, nequit illud inferri, nisi constet de injustitia possidentis, (S. Alph. n. 408) Alii, ut Busemb. (l. c.), requirunt tantum probabile judicium : quod sane*

sufficit ubi bellum est defensivum, immo et practice ubi offensivum est, siquidem de his causis vix aliter judicare possunt gregarii milites quam probabili conjectura vel praesumptione.

**VI.** In bello justo licet facere ea omnia quae ad finem belli sunt necessaria, dummodo nihil fiat contrarium juri naturali vel gentium. Hinc :

1º Non licet, extra actuale certamen, occidere innocentes : quo nomine veniunt tum ii qui arma non portarunt, tum etiam milites qui tantum coacti (ut hodie plerumque contingit) in bello participarunt : innocentes enim extra casum legitimae defensionis occidere juri naturali repugnat. (n. 371) Immo hodie in more positum est ne occidantur ii etiam qui forte injustitiam belli cognoscentes pugnaverint.

2º Licet contra hostem adhibere insidias et stratagemata (2. 2. q. 40. a. 3) : hoc enim nihil aliud est quam ipsis consilia propria abscondere. Sic exploratores, qui sub amicorum specie mitti solent, non peccant, nisi forte leviter ob mendacia quae proferant. At graviter adversantur, saltem juri gentium, ea stratagemata quae nullatenus caveri possunt et grave periculum innocentibus creant, ut veneno inficere fontes.

3º Peccat qui fidem hosti datam frangit, nisi eam dederit coactus seu injusto metu ad iniqua promittenda adactus, vel hostes eam non servent, vel circumstantiae sint prorsus mutatae. (Bus. ap. S. Alph. n. 410)

4º Praxis hodie communiter recepta est ut, excepto bello navalium, bona privatorum non diripiatur ab hostibus. Attamen injustum non est tributa bellica imponere civitatibus vel vicis qui hostiles actiones exercuerunt et sones tradere nolunt vel nequeunt. (Lehmk. I n. 857)

Multa alia circa bona diripienda, acquirenda, restituenda, agitant DD. quae, utpote minus practica, omittimus. Ceterum, ubi res non aperte injusta est, multum concedendum est consuetudinibus receptis et necessitatibus verae vel saltem existimatae.

## SECTIO VI. — DE SEXTO ET NONO PRAECEPTO.

**386.** Sextum Decalogi praeceptum sic sonat : " Non moechaberis „ (Ex. XX, 14) ; nonum autem : " Nec desiderabis uxorem ejus „ i. e. proximi tui. (ib. 17) Ambo simul explicari solent, quia sicut sexto externa, ita nono interna luxuriaec peccata prohibentur.

Imprimis agemus de peccatis luxuriaec consummatis juxta naturam ; deinde de iisdem consummatis contra naturalem ordinem ; tandem de peccatis luxuriaec non consummatis. De peccatis internis jam multa explicata sunt in tr. de Peccatis, nn. 169 seqq.

## CAPUT I.

### DE PECCATIS LUXURIAEC CONSUMMATIS JUXTA NATURAM.

#### § 1. NOTIONES PRAEVIAE.

**387. I.** Luxuria est vitium capitale quo quis inordinate appetit delectationem venereum.

*Inordinate*, i. e. contra rectae rationis ordinem, quod (ut postea fusius explicabitur) semper contingit quando haec delectatio extra matrimonium vel contra matrimonii obligationes quaeritur.

*Venereum* dicitur id quod ex se proxime ad generationem pertinet. Hinc, quo clarius percipiatur qualis delectatio dicenda sit venerea, quaedam de generationis natura praemittenda sunt.

Generatio distinguitur in *activam* et *passivam*.

Activa generatio idem sonat ac copula, coitus, concubitus ; consistit autem in eo quod membrum virile in vaginam feminae immittatur ac semen virile in vase femineo deponatur. Passiva generatio est congrua unio seminis masculini cum semine seu ovulo femineo in utero feminae. Cfr. Capellmann, Medic. past. p. 132.

**II.** Inter antiquos DD. multum controvegebatur num, in actu copulae, verum semen prolificum a femina sicut a viro effunderetur et active ad generationem concurreret. Affirmabant Scotistae cum Galeno ; negabant plerique, cum Aristotele et S. Thoma. (3. q. 31. a. 5. ad 3) Hodie autem physiologica observatione constat magnum discrimen vigere inter rationem qua uterque sexus ad generationem concurrerit. Nam viri testibus secernitur humor quidam seu sperma cui innatant corpuscula quae *spermatozoidea* nuncupantur. Apud feminas quoque, in actu copulae, humor quidam secernitur et profluit e glandulis quae, ob situm suum, vulvo-vaginales audiunt. At humor ille minime essentialis est ad generationem : ad hanc enim feminae concurrunt tantum sup-